

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 4 \*

- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennebergeri  
 II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.  
 III. Venie de Christo recens nato Joachimi Flemingi.  
 IV. Lessius Cesareus Cyriaci & Herdesiani <sup>sup</sup> obitum Rudolfi Imperatoris  
 V. Soteria Dr. Johanni Georgio Saxonum Ducis Academie Wittebergensis.  
 VI. Votivus applausus Dr. Dr. Principi Anhaltino administrationem principatus Cisalbini  
 suscipienti Friderici Theodore Gorlici.  
 VII. Teos quod rursum evocata ad Dr. Augustum Principem Anhaltinum Flemigii causa sua  
 vestam iheresum M. Petri a Fera.  
 VIII. Epitalamium Marci Friderici Werdelius  
 ad Dr. Augustum Ducem Bruno vicearem.  
 IX. Epitalamium ad eundem principem Iohanni  
 Cremeri.  
 Elogia Gregorij Bersmanni Rudolphi Princi-  
 pi Anhaltino sponte scripta.  
 X. Teos quo uterque Dr. Rudolphi Princeps Anhal-  
 tino scripta a Collegis schole Serventare.  
 XI. Epicedium in obitum Dr. Rudolphi Princeps An-  
 haltini Abrahami Cremeri.  
 XII. Strena Poetica Christophori Heroldi.  
 XIV. Euerela Saravontonis et Bionae.  
 XV. Gregorij Bersmanni in pontem sublimam  
 defrauensem Carmen Iacobius Mairius.  
 XVI. Joachimi Flemingi Sicular Scholasticum.  
 XVII. Abrahami Vbiici Diagraphe Laboris  
 Scholastici.  
 XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratio  
 imposita.  
 XIX. Typus Depositionis Scholasticae Fri-  
 derici Widebrani  
 XX. Bulla et amuletum M. Blocy.  
 XXI. Orationibus Dr. Danielis Bliesardi.  
 Dr. Johannis Christophori Hartmanni. Dr.  
 Philippi Neudlingeri. Dr. Matthaei Coleri  
 Doctorum scripta.
- XXII. Gratiarum Actio M. Gobenii Copperij  
 post Magisterij eutum pronunciata.  
 XXIII. Exequiae eorum Cerevisiae Servente-  
 ne Danieli Berckingeri.  
 XXIV. Desortatio a Latennijs.  
 XXV. Germania ad Principem epistola Attil:  
 Martino Praetorio.  
 XXVI. Votum Schole Veraliensis.  
 XXVII. Teos quod rursum ad Dr. Johannen Sturium.  
 XXVIII. In honorem Magisterij Dr. Johanni Gobenii.  
 XXIX. Triginta Feyerum M. Christiani Galli  
 Italo-Saxonis.  
 XXX. Adamus Forsterius Friderici Stro-  
 nis Ernesti Wulstorfii.  
 XXXI. Etiam  
 XXXII. Juvenum 37. M. Theophilus Careissen  
 XXXIII. Iohannis Cremeri.  
 XXXIV. In honorem Notariatus Valentin  
 ni Gelani.  
 XXXV. Strena anagrammatum quadrifida  
 Christophori Heroldi.  
 XXXVI. In auptias Dr. Wolfgangi Falagi  
 4. V. D.  
 XXXVII. Ejusdem Iohanni Thilo  
 Nicolai Maij.

B XVI.

an 15

IOACHIMI FLE=  
MINGI  
**PERICULUM**  
SCHOLASTI=  
CUM  
Sub sua *A 1620*

In  
SCHOLAM DESSANAM

Pridie Nonarum Augusti Anno  
1620 factâ

INAUGURATIONE  
aliqualiter auspicatum

SERVESTÆ,  
TYPIS DORFFERIANIS,  
Anno c 1620 c XX.

L E C T U R O.

**V**IROS & arma, ditiore qui clues  
Venâ Poëta, ad impares voces modos,  
Tibi gravata Marte (proh dolor) truci  
Dant divitem vicina rura copiam,  
Heic exseras vires, age heic te da virum!

Pubem docere inauguratus nuperè  
Venâ poëtor paupere ipse, viribus  
Hinc, conscius meæ mihi invalentiæ,  
Æquam meis rem tracto, tracto congruam.

Sic Nauta ventos, sic Arator jugera,  
Pendat, suum Pastor pecus, suas plagas  
Venator, arma Miles & victorias.

Dixisse cuiq; fas suum. Scholasticum  
Cur ergo non meum mihi periculum?

Ne parva parvo scripta rode carmine  
Mi Lector, ede magna magno carmine,  
Et labra comprimam, neq; audio Theon.

ILLU-

ILLUSTRISSIMIS AC GENERO-  
sissimis Principibus ac Dominis

Dn. JOHANNI - CASIMIRO

&

Fratribus.

Dn. GEORGIO - ARIBERTO

Principibus Anhaltinis, Comitibus Asca-  
niæ, Dominis Servestæ ac Bernburgi  
&c. Principibus ac Dominis suis cle-  
mentissimis.

**H**eroum Heroas gestis donâsse superbo  
Carmine laudatis secula prisca solent.

Magna putâ magnos rentur decuisse, nec uno  
Munere mactandos quoslibet esse viros.

Est ita: Mentetamen data simplice vilia laudem  
Munera sâpe liquet promeruisse suam.

Rusticus obtulerat quondam cui nescio Regi  
Rapum, animo tulerat Rex quoq; tale bono.

Dat sua quisq;. Genus veterum dat pictor avorum,  
Phidiacæ sculptor dulce toreum a manu;

Mercator gemmas, leporem Venator, aquarum  
Prædas Piscator, Pastor ovile pecus.

A 2

Ipse,

Ipse, Scholæ pridem cui sunt data sceptræ, labori  
Devotas vires si fero, cuncta fero.  
Dius geniti Heroes, par, quod virtutibus annos  
Anteuenis, fratum nobile, stirpis bonos.  
Qui datis hospitium Musis, quos primæ juventæ  
Curat enet, monstrum noscite triste Scholæ.  
Noscite, quando sinunt graviora negocia, Musis  
Vel modò patronos vos aperite meis.  
Custodite sacras vestro moderamine flamas;  
Pandite sancta Deo templa, fovete scolas.  
Ac erit in vestrâ pax aurea sede, virescet  
Vestraq[ue], quod voveo, perpetæ flore domus.

In significationem subjectissimi  
studii & observantiae humili-  
liter dedicat

JOACHIMUS FLEMINGUS,  
Scola Dessañæ συνεργύ

PERI-

**PERICULUM SCHOLASTICUM.**

Re per austeram tenui macramq; Scholarum  
Carmine fert animus facie, locus iste poposcit,  
Hisq; sub auspiciis quæ me justissima iussit  
Dicere causa. Scholis qui præficiis ipse magistros,  
Alme DEUS, puerosq; vocas, lactente sub ævo  
Visq;, loqui vix docta, tuas, infantia, laudes  
Prædicet, adde animum, timidæq; repagula linguae  
Deme loquuturo, felix illabere ceptis,  
Ut tibi grata canam, doctis placitura virorum  
Auribus adstantum, teneramq; vocantia pubem,  
Ad studia & mores annis puerilibus aptos.

Magnifici proceres, & nobilitatis avitâ  
Stirpe coruscantes, vos lucida juris & æqui  
Sidera, justitiæ Patres; Vos sacra beatæ  
Pandentes fidei populo mysteria, canâ  
Insignes pietate viri, flagrantia veri  
Pectora divini Zelo; & tu virgea vibrans  
Sceptra cohors, onerum socii, gnariq; laborum;  
Bellerophontreas avidissima deniq; pubes  
Errandi per aquas, aures præbete loquenti  
Attentas, animis teneroq; favete Poëtæ.

B 3

Quem

Quem Schola ferre solet, posfit labor iste videri  
Exiguus multis equidem, neq; poscere crebras  
Contiguasq; operas, sed multa relinquere semper  
Ocia, quæ reparent vires & fracta diurno  
Membra labore levent, & rursus ad ardua mittant  
Doctorem meditata, suis & debita Musis;  
Quatinus haut magnas puerilia peitora tradi  
Res habeant opus, & tenerum superantia captum,  
Abdita, quæve virum magno scrutamine frangant:  
Ludere sed doctum mediocriter omnia, partes  
Ludentemq; subire suas, nihil ullibi quidquam  
Vel sentire mali, quidquam vel ferre molesti.  
Nec sine fruge pati, quidquid patiatur, honores  
Præmia digna sequi, melioraq; munia semper  
Esse malis comites, & onus subsumere collo.

Iste quis insanæ sed mentis, acuminis expers  
Ingenii, stupidus, quem sceptræ scholastica præbent,  
Quo vix est gravior, vix durior, esse laborem  
Qui neget, inq; levem sat agat convertere lusum?

Ingenuas certè didicisse fideliter artes  
Ac Linguas novisse decet quemcumq; juventam  
Informaturum, si non excellat ubique,  
(Non omnes quianam nos possumus omnia) saltem  
Cuiusvis aliquâ sit cognitione vel artis

Vel

Vel Linguae tinctus, Spartam decorasse receptam  
Laude fideq; volens, & quem meruisse favorem.

Quin sane magnos sit sustinuisse labores  
Heic opus, insomnes multas duxisseq; noctes  
Ante quis adgrediatur opus quam cruda juventae  
Pectora formandi, sibimet quo fidere possit,  
Fortè negaturum mihi vix speravero Momum.

Doctus ab indocto nunquam quis redditur, & q̄tias  
Ipse met hāut didicit, qui transplantaverit artes?  
Num cæcus cæcum, stolidus num ducat inertem?

Ast neq; cura vigil sacris operata Camenis  
Sufficit in totum, neq; docta peritia rerum.  
Sed mage perspicuas proponere singula leges  
Et fundata brevi methodo præcepta requiri  
Res loquitur, nocuit præposterus ordo juventæ.

Multorum sterilis cedat jactatio, magnas  
Prætumidâ qui mente rudi s̄evere juventæ  
Tradere res, longos studioq; ferire superbo  
Sæpe dies, aliquem vel non succedere fructum  
Soliciti nihil, hac saltem ratione patescat  
Esse viros sese, qui plura Scholastica norint  
Quam documenta, gradum frustra nechabere Magi  
Obruis ætatem gravibus quid stulte tenellam  
Rebus, & ex imo subtilia pectore promis

Argu-

Argumenta, suum neq; contingentia finem, ?  
Turpius ecquid erat, quid inertius, atq; tenelli  
Herculeos animi pueris aptare cothurnos?

Hinc fit in innocuos pravam præeunte Magistro  
Fortè viam pueros jactura redundet, & ipsa  
(Informata probè cuius sunt fulcra juventus)  
Damna ferat tristi quondam Res publica fluctu.  
Accidit, obliquum, si vel lascivia tauros  
Vel furor invasit, sulcum deducat arator  
Ac ita deliret; sed vile ligone relictum,  
Subruit, extemploq; scrobes ad scamna reducit.

Sic malè consuerit vestem malè mensus, & addat  
Particulam vè secet, tollit dispendia Sartor.

Discrepat ingenii ratio puerilis, odorem,  
Quo semel est imbuta recens conservat ut omni  
Tempore testa; malâ sic consuetudine ductus  
Edoctusq; puer, solitos deponere mores  
Nescit, & ad pulcros mage se componere, ceptos  
Sed fovet errores, raroq; revertitur unus  
Ad meliora, suo sed tramite strenuus errat.

Tantæ molis erat teneram componere pubem!  
Tantæ molis erat recto deducere cursu  
Et rectâ methodo, methodus perplexa docendum  
Implicat atq; rapit studia in contraria vulgus.

Una

Una nec heic semper via, sed varianda tenello  
Pro pueri captu, ne vel majora, facultas  
Ingenii quam ferre potest tradamus, eadem  
Aut remoremur eos chorda, potiore beavit  
Quos Natura animo, quibus & meliora coruscans  
De meliore luto Titan praecordia finxit.

Cuilibet assiduum decet adplicuisse Magistrum  
Discipulo se, cuiq; suum conferre laborem  
Munere vult dici functus cum laude, profectos  
Et sperare suâ quos sedulitate profectus.

Viribus heic opus est, opus est heic tempore, privas  
Quêq; simul trahit (ecquis in hoc consumeret annos  
Pulvere stultus?) adhuc coluisse libido camenas:  
Sit piger ad requiem, multam traducere solers  
Exsomnis noctem, serosq; ad luminis ignes  
Ille suis studiis non invigilare recuset.

Qui minùs ingenuas operas exercet & artes,  
Ac sua continuo manuum sibi fercla labore  
Comparat, occasu sub Solis, ut aera vesper  
Temperat, è fabricâ videoas cessisse relictis  
Mox operis, lassum & mensis petiisse remotis  
Strata, nigram & facili noctem consumere somno.

Extinctæ cùm damna facis reparavit & ore  
Plenior exceptit Phœben, cursusq; novatos

B

Institu-

Instituit Titan, convexa per aurea mundi  
Ignicomas moderatus equos, vigil iste relictas  
Ocyus ad fabricas it alacrior, ossa futuris  
Vivida rebus habet, vegetas in corpore vires.

Evenit inferius longe pejusq; Scholarum  
Præsidibus, multo laeti clamore, diurno  
Atq; labore, suis sese componere tendunt  
Jam thalamis, sperantq; bonam requiescere noctem.  
Eccere præteritos imitantur iniqua labores  
Somnia, vel mediis etiam conatibus ægri  
Subcubuisse sibi visi, non lingua valet, non  
Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.

Excussere metus somnos & cura salubres,  
Surgere conantur doctosq; subire labores :  
Reddidit obtusos sensus, & penè sagaces  
Ingenij necuit vires, calidumq; cerebrum  
Siccavit pituita fluens, absumisit & omnem  
Nocturni causam somni, minuitq; quietem.

Ante diem hinc senium curvos grave contrahit ar-  
Ante diem toto macies in corpore regnat, (tus,  
Ante diem nimius pallor notat ora, minantur  
Ante diem mortem tristissima fata, propinqua  
In tetricové sedet vultu mera mortis imago.

Atq; vel hos etiam facili tolerare labores

Suffi-

Sufficerent animo multi, modò pulvere tandem  
Hoc, ubi venisset forsan messoribus æstas  
Sexta, cucurrisset toties quoq; Bruma, pateret  
Elabi quod iter, melioris & anchora vitæ.

Ista secuturæ spes libertatis in aures  
Crebra susurraret, fractos animiç; vicissim,  
Erigeret, vires daret, assiduosq; teneret.

Ast aliud docet eventus, docet ipsa velustas,  
Vivaq; multorum vox, exemplaria, multos  
Consenuisse viros, neq; tempora cana beatâ  
Libertate frui potuisse sed isse sub umbras.

Scilicet assiduus nimium labor iste, nec artes  
Pendere quem reliquas sinit, ad majora vel olim  
Tam facile spirare, statu & meliore potiri;  
Istaq; fertilitas paucis concessa patescit  
Ingenii, quos Naturæ facundia nodo  
Solveret hoc labyrintheo, neq; respicit uno  
Sors omnes oculo, vel ut huic quos demeret antro  
Gratia, tranquillamq; daret traducere vitam.

Hæret uterq; : Bonus malus, aptus ineptus, alacres  
Socordesq;. Scholam bene qui regit atq; juventam  
Promovet, ille quidē, quòd ad hæc quasi munia natus,  
Substituiq; pares nequeant sine clade, tenetur.  
Qui verò docet infelior, atq; peritus

Iste minus, nunquam satis ad majora putatur  
Aptus, & angustam ne quâ pateretur egenus  
Pauperiem, quâdam miser est bonitate relicitus.

Quid memorem curas? quid tædia, quidve labores  
Perstringam, pueri quos suêre creare magistris?

Discipulos olim sapiens sibi Plato legebat,  
Qui dociles, alacres, reliquis sua docta negabat  
Officia indignis, neq; suscipiebat in album.

Mos hodie fermè contrarius evenit, omnis  
Non habitâ pronæ ratione vel indolis, aptæ  
Ætatisvē scholam puer ire jubetur, aduncæ  
Margites buræ melior, vel sæpe jocosæ  
Pusio nutricis magis indigus atq; magistri.

Deficit heic ratio, studium, vox deficit, & nox  
Non satis, ut capiant aliquid, quem deniq; tentet  
Fortè modum, quoties inculcet & indice monstret.

Sunt stupido sacræ sacra Palladis abdita pagi  
Bojemici, nullis superanda laboribus unquam  
Intervalla, datum librum libriq; figuras  
Totq; characteres veluti (modò gratia triti)  
Vacca recentis opus portæ mirata, tuetur.

Si chalibi silicem (magnis componere saltem  
Parva mihi liceat) decies illidis & ultra,  
Et non prædurum, nullos excusseris ignes.

Ac

Ac nati, retrogreditur mox cancer, echinus  
Asper, & urticæ morsūs imitantur acerbos:  
Sic natura statim lucescit in indole, præ se  
Sive bonam ferat illa, malam seu fortè minetur.

Pusio adest comedens fartam fluitante per ora  
Perq; manūs butyro similam, vel frusta secando  
Circumsecta gerit pani, duplicata libello  
Addita pauperior, gravidos modò lacte tulisset  
Matris uterq; sinūs secum, quoq; pellere fesso  
Ore sitim, cunasq; satur quēis stertere posset,

Quid? neq; majores pudet hoc intrare paratu,  
Dum vel post saga, vel, secum quæcunq; tulerunt,  
Tempora declives comedunt, vel sæpe, magistros  
Non novisse rati fraudem neq; cernere, bolos  
Erecti minūs ore vorant titubante, vocati  
Quæsitiq; cui fors respondere, vel horæ  
Ut valeant quadrante sonum vix edere, fauces  
Obturante cibo, magnum moveantq; cachinnum.

Omnibus ad sacri vicina cacumina cœlo  
Montis iter patet, at patet haut tamē omnibus æquū,  
Dicit ad astra labor, labor unus ad ardua certus  
Sidera trames agit, labor omnia vincere suevit

Herculeum certè, modò nī quoq; sæpe laborem  
Sisyphium subeat, sacra qui conatur inertem

Per tot inexcultas valles, tot & invia saxis  
Per loca, tot dumis, tot sentibus obsita duris,  
Ad juga Cecropii pubem deducere montis.  
Debilis in puerō Natura stupescere tantos  
Sæpe fuit, nimios & divinare labores  
Vila, gradu plures primo præsaga reverti  
Dum jusfit, multos medio, quandoq; supremo  
Nonnullos dubitare, viamq; relinquere ceptam.  
Scilicet exegit nunquam Baccheja vires  
Pampinus, ac Laurus Parnassia, Pallade vernis  
Doctisonâq; fuit semper Venus aptior annis.  
Hinc videas plures primi (proh!) temporis ætas  
Dum floret, majore sequi conamine Bacchi  
Impia, quam Phœbi sacra castra, libidine plures  
Lascivæ Veneris, castæ quam Palladis uri.  
Ad vicii via lata patet, virtutis ad arcem,  
Arcta, ocium vicio comite it, virtute labores.  
Dicit ad astra labor, labor unus ad ardua trames;  
Thespius ignavis cessit neq; cardo, supinus  
Nec tulit ad stadium recubans, sed præmia cursor.  
Difficilem rem tentat, opus mortalibus impar  
Viribus adgrediturq; ferè, variisq; periclis  
Insuper expositum, fontem bibiturus amœnum,  
Bellerophontæi quis equi, viridiq; Dearum,

Jun-

Jungendus thalamo & Lauri meriturus honorem.

Crediderit si passa tamen quis carbasa cauro

Auspicio meliore, parum passusq; pericli

Principibus felix curis evaserit; almum,

Incipit adparere jugum, l<sup>a</sup>tissimus alas

Pandere frondicomas mons, dulcisonoq; stupentem

Divinæ puerum cantu mulcere Camenæ.

Cincta videt ridere, locum nimis esse beatum.

Judicat, intuituq; hæret defixus in uno.

Heic sacra protrudit Parnassia germina Laurus,

Brachia, sacra Jovi heic florentia porrigit ilex,

Heic hederæ, heic thyrsi florent, heic myrtus, olivæ

Heic austrina tegunt lambentibus omnia ramis,

Heic palmeta suās pandunt fragrantia regum.

Signa triumphantum quondam victoria frondes;

Heic anacardus olet, rubet heic hyacinthus, odorem,

Dat calamus, seselis, dat thus, dat amaracus omni

Tetra sui pestis, dant lilia, nardus, acaanthus,

Mixtaq; cum violis thyma, nobilis ille marinus

Ros, pepones, orchisq; calens, colocasia, serò

Narcissusq; comans, nasturtia, symphyta, malvæ,

Florentes ferulæ, polium medicina perito

Grata Machaoni, plantago, cucurbita, salva,

Salvia, fæniculum surgens, althea, capilli

Atq;

Atq; Dionæi, pubens phlox, discolor iris,  
Intiba, serpillus, perfusa papavera somnis  
Lethæis, apium, sisarum, lactuca, finapis.  
Et flores alii mala queis depellere doctus  
Et morbos solitus Pæon mortalibus, olim  
Sustulit & querulo Diomedea vulnera Marti.

Hic tantus monti vigore est! hæc tanta voluptas!  
Hoc tantum nullo decus est superabile fastu!

Non vulpes astuta, truces neq; limina tangunt  
Divini Lynces montis, non sæva Leænæ  
Heic errat soboles, non ursa, nec omina raucus  
Bubo sinistra canens mortalibus, occinit heic nec  
Scops, nec eprops, nec agit sacris in frondibus otus.

Ergo nec heic Tigres rancant, rugiuntve Leones,  
Non Elephas barrit, verres quirritat, asellus  
Roncat, non grunnit sus, non auditur equorum  
Hinnitus, non balat ovis, nec rana coaxat.

Sed turtur, philomela, merops, pelicanus, acanthis  
Et merulæ cecinere, suos posuereq; nidos :  
Et sacra Pieridum viridi sub Apollinis almi  
Vexillo fixere cohors sua castra, Sorores  
Tres bonitate pares, concordia Numinæ sceptrum,  
Heic Clario posuere statam moderante cathedralm.  
Heic canit Uranie sacri præsagia verbi

Atq;

Atq; poli tractūs metitur & astra tuerit,  
Gesta canit Clio, doctas Polyhymnia formas  
Dicendi enucleat, teneto meditatur amores.  
Plectro Erato, Euterpe calamis flat dulce canoris,  
Calliope mutis heroica carmina chartis  
Mandat & historias, gaudet sermone Thalia  
Comica lascivo, tragicos induita cothurnos  
Melpomene singit, Sirenibus orta chorreas  
Terpsichore dulci recinens modulamine dicit.  
In medio residens divus notat omnia phœbus,  
Omnia perpendit, clarat, defecta ministrat.

Reddier affinis tantæ dulcedinis ecquis  
Non optet, tantæ quis prosperitatis alumnum,  
Se fore non velit, & tanto splendore potiri?  
Multus amore novem licito, tantisq; Sororum,  
Corripitur donis, renuit sed ferre procellas  
Consuetas, solitosq; procis adamantibus imbres  
Fortunæ perferre vagæ, perferre labores,

Quin labor impensus pueris illuditur, (est mens  
Læva juventuti) quoties subducere ludo  
Se, minimè renuunt, falsas neq; fingere causas  
Turpiter, absentes & se purgare, magistros  
Fraude rati vafrâ se decepisse, rubescunt?

Calceolis hunc sutor, eum resupinus amictu

D

Deti-

Detinuit sartor, dentes dolet iste, labofat  
Hic febre, quintus hero mandante domestica curat,  
Alter ob in seræ convivia tracta parentum  
Tempora noctis iit cubitum quasi senior, alter  
Pranlus erat nihil, alter ait sibi fraudet libellum,  
Subreptum, alter agit fractâ de olave relictus:  
Amisâve domi, alter helâ expatiatur in hortum,  
Imperitante, nuces, pyra, pomavè forâ petitum.

Nescio quæ plures sibi plura negocial turpi  
Fingunt obtentu, sibi semet obesse suisq;  
Usibus ignari, dum vel chartacea rubri  
Symbola versarint regis, vel pocula Bacchi,  
Servierintq; jocis, ociis, somnové vacârint.

Non urgere nimis, sed connivere decebit  
Heic te, perpetuum conservature favorem.  
Discipuli, matrisq; sui quæ callida cari  
Callida filoli mendacia condere novit.

Si lubet, ad parent tandem, veniuntq; vagantur  
Aut tamē ingenio, aut cunctos numerare quadrantes  
Horarum labor est, lusus meditantur, amores  
Famososq; legunt libros & inania tractant.

Si qua venit scribenda phrasis vel digna notatu  
Chria, vel excipiunt jussi nihil, immo coacti  
Scribere se simulant, falsas vacuisq; figurâ

In

In chartam ducunt calamis, dictante Magistro  
Vel dulcem in somnum declinant lumina, labi  
E manibusq; sibi passi sunt s̄æpe libellos.

Omnia cum fuso peragunt, nec verbera, nec quid  
Verba valent, nec quid leges, quid? s̄æpe vel ipsum  
Sanna laborantem sequitur postica magistrum.

Si qua virum revocant inopina negocia gressus  
( Evenit interdum ) de limine ferre, cavatâ  
Ult quercu resonant examina multa, protervæ  
Murmura percipias pubis, glomerantur in unum,  
Sede sedet nemo suetâ, discordia quinjam,  
Exoritur, crinesq; petunt, libri arma ministrant.  
Verberor, heic clamant, clamant, ego verberor, illic,  
Queis lacerâre libros, quibus evertâre colores,  
Queis calamos rapuere dolo, quos talibus extra  
Incusant fraudem, quo de jam jurgia necunt.

Audiit, exemplo remeat præceptor, & altâ  
Voce silere jubet stans limine, muris ad instar  
Conticuere statim, quivis intenta tenentes  
Ora, nec est quidquam qui musfitet, unus & idem  
Est animus, nullus queritur, tutissima res est.

Reflectente pedem, sedemq; petente priorem  
Præceptore, prior pueris mox rixa movetur.

Usuram vegetæ quorum præcordia mentis

C 2

Igno-

Ignorant, norunt equidem fera bruta capistris  
Fracta jugum perferre, suos audire magistros.

Indomitos equa quæ peperit secunda caballos  
Ferrata domiti qui non sint calce coacti  
Ferre viros, ferrum mordere, subire lupatum?

Balantem revocare gregem & compellere in unum  
Flando manum didicit Corydon per disita sparsum  
Prata; levem ad pueri vocem servive reflectit  
Bos, porcosq; suos novit retinere subulcus.

O vanos mores! ô tempora! secla! vel ipsis  
Turpiter exemplis morum mutanda ferinis!

Moribus imbutus puer & probitate, magistrum  
Et colere edoctus, doctus parere jubenti  
Adsvetusq; malis seducitur ille malorum  
Ocyus exemplis, vicia & communia tentat.

Hoc opus, hic labor est medium tenuisse! malorum  
Connivent viciis & liberiora relinquunt  
Frena; vel in miseros vergit mox culpa magistros.

En nostros, clamant, sumtus! en sancta scholarum  
Sceptra! juventutis specimen! probitatis alumnos!

Crebrior in ferulis, paulumq; severior, audit  
Matribus haut doctor sed tortor, ubiq; ferit  
Cuspide linguarum, torvis spectatur ocellis.

Ipse met audivi (pænas quoq; forte luentem,

Audi-

Audivit puerum querulos effundere fletus )  
Pessima nuper anum convicia dicere, centum  
Dæmonas ac iterum centum ( meminisse stupescit  
Mens) miseris optare viris, & vota precari,  
Vota, vel invideat quæ mens genuina catello.

O immaturas biles! ô mollibus atræ  
Filiolis pestes matres! ô invida gnatis  
Turba suis! vestris ô parcite, parcite gnatis.

Tolle scholas, gnatosvē tuos his deime capistris,  
Atq; fove gremio, blandis nec verbera verbis  
Misce, sed laxa frenos: at desine dignos  
Laude tibi sperare viros, spes irrita fallet.

Sola viros schola dat, schola format, honestat adau-  
Sola juventutem studiis & moribus, aptam, (get  
Reddit ad humanas res & quascunq; gerendas.

Suscipit inde suos Ecclesia sacra ministros,  
Suscipit imperium, sibi Res quoq;- publica doctos  
Suscipit inde, quibus sine nulla beata virescit.  
Singula quid memorē, memor abovē plurima paucis  
Quī bona? mī nimis hac, fateor, vice curta facultas

Omnia sunt hominū pereuntia mōmine præter  
Quas dat opes schola, quas portamus ubiq; locorum  
Nobiscum, summo quibus in discrimine solis  
Nitimus, ac fugimus famæq; famisq; periculum.

C 3

Tri-

Tristia propinans dulci sub melle voluptas  
Toxica cedat opes procul hinc estote rapina,  
Mulciberis, properamq; trahens domus alta ruinam.

Passus Aristippus magno discrimine fatum,  
Flebile, perdiderat bona naufragus omnia, tandem,  
Sorte Syracusios meliore relabitus in agros  
Evasit felix, & humi proserpere virtus  
Nescia, præcellensq; viri patefacta per urbem,  
Ceperat ut fieri doctrina, receptus honesto est  
Nomine, præclarisq; bonis cùmulatus amicis  
In patriâ reliquis præcepta renunciat, illas  
Eligerent ut opes, quæ per mare fortè phaselio  
Confracto dominum simul insequerentur euntem.

Atq;, quid acciderit Coo quis nescit Apelli?  
Factus & ille levem saxo quassante carinam,  
Naufragus, Ægypti fatis auctoribus agros  
Adpulerat, properæq; miser vix retia mortis  
Fugerat, in medios heic incidit ecce latrones  
Intuper, & sequitur reprobam sors reproba sortem.  
Turribus insignem videt adparere superbis  
Metropolin, properos gressus quà dirigit, aulam  
Magnificamq; petit Regis, spoliatus honesto  
Vestituq; loci metuens abscondit in arcti  
Se latebras, comedens quas mendicaræt egenus

Hinc

Hinc atq; hinc micas, sperans post nubila Phœbum.

Aūlicus ecce venit vitâ vultuq; superbus,  
Inquit & ad cœnam falso de Regis jussu  
Invitat, ridensq; pedem cum voce repressit.

Illusum quamvis se cerneret, atq; futurum  
Omnib⁹ insignemq; jocum magnumq; cachinnum:  
Ipse tamen subeunda putans cœnacula Regis  
Fata sibi meliora videns ad ludere, panno  
Obsitus exiguo dictâ comparuit horâ.

Undiq; visendi studio lasciva juventus  
Circumfusa ruit, certatq; illudere stulto  
Falsa viro, rogitat quid sic conscenderit aulam  
Regis inexcultus, quid se commoverit, & quis  
Ipse sit? Ad cœnam cūm diceret esse vocatum  
Se Regis, risu stertunt, urgenterq; vocantem.

Ignorans Satrapam, Satrapæ quoq; nomina, chartæ  
Imprimat exactam faciem, quā quilibet ipsum  
Nosceret, atq; doli semet mox proderet auctor.

Hæc ita picturæ Regis præstantia mentem  
Perculit, ut cœnâ secum frueretur eadem,  
Expertusq; viri cladem compertus & artem  
Magnificis tandem donis dimisit onustum.

Scilicet ars alitur quâvis regione, Caménas  
Pauperiem pasfas nec vidimus usq;, sed, amplis

Si

Si non divitiis, saltem mediocribus omni  
Ornatas opibus seculo, nec & his si, nomine certe,  
Nomine divitias & opes superante caducas.

Sed certo mea Musa scopo deflectis in amplos  
Magnarum campos rerum, tibi congeris impar  
Sponte jugum, posito brevior duc carmina portu.

CUNCTA Dei fato fiunt statuente, magistrum.  
Meq; juventutis juvenem facit ipse, subibo  
Se comite illud onus, fretus se vicero quosvis  
Ipse laboriferos fluctus, se præside felix  
Rexero, sparata tandemq; cucurrero metam.

Vos agite o proceres, nostros lenite labores,  
Confiliis juveniq; piis subcurrите fluctu  
Fortè laborantem navim turbante, procellas  
Invidiæq; graves nostris avertite transtris.

Spondeo commissum superis aliquale talentum,  
Concessasq; mihi vires, mea trado labori  
Viscera pulvereo, me cernite, ne quiter artes  
Et partes subiens celi convexa tueri  
Vel sit is indignus, veniat vel nomine fuci.

Vos quoq; Collegæ vires reparabimus, unâ  
Nave vehemur, aquis neu submergamus, ab unis  
Vivemus votis, nobis alterna patebunt  
Officia, & nostro benedixerit ipse labori

Sic

Sic Deus, ad meritos tandemq; vocarit honores.

Vos pueri, præstate, scholæ quæcunq; requirunt  
Publica jussa, jubent quidquid ratione magistri  
Muneris, ac patulas nostris date vocibus aures,  
Spernite nec monitus nec spernite verba, sequantur  
Verbera nulla, semel moniti parete, vicissim  
Munere functuros nos esse videbitis, unus  
Muneris est nostri scopus, unica meta, profectus  
Quærere perfectos, ususq; inquirere vestros.

Alme DEUS, cuius benedictio cuncta serenat,  
Quo sine velle meum est vanas consumere vires,  
Tu benedic rudibus, præstaq; laboribus, offer  
Te placidum mitemq; tuo nos Flamine firma,  
Pectora nostra sacra, promtas & suggerere vires.

Alme DEUS, terris Reges qui præficias, illos  
Ac illis adimis, qui rumpis iniqua malorum,  
Federa, componis rixas, populosq; superbos  
Sternis, & innocuis subcurris, & arma tuorum,  
Suscipis ipse, domum sanctis committimus alis  
ASCANIAM, clypeoq; tuæ bonitatis, ab omni  
Protege fortunæ facie asperioris, amatæ  
Tempora da pacis, victis vel ferre triumphos  
Hostibus egregios, da prospera sceptra, beatos  
Rerum successus, longâq; propagine dita,

D

Indu-

Indupedita queat tantis Ecclesia verbum,  
Præsidibus tractare tuum, ne stulta subintrent  
Somnia Pontificum, commentavè Flacica, crudo  
More Capharnaïdum corpus qui corporis escam,  
CHRISTE tuum faciunt, fingunt & ubiq; locorum  
Esse, nec electis reprobos miscere rubescunt.

Vosq; vel imprimis duo florida germina Rutæ  
Ascaniæ, quorum perstat Schola munere, priscos  
Incipit & vultus renovata resumere, quorum  
Nutrimur largâ quoq; nos bonitate Scholarum  
Præfecti, memoro te JAN-CASIMIRE, GEORGI  
Teq;- A RIBER TE, piæ patriæ duo fulcra, paternæ  
Æmula virtutis corda, & prælustria veri  
Principis exempla, spes posteritatis, in annos  
Vos servet multos, vobis det singula cedant  
Ex animis, faustumq; habeant comitem omnia metā  
Omnia disponens DEUS, omnia fine coronans.

Quosq; fui natus te fata regente patronos  
Insperata, viros famà super æthere notos :

Te volo KOTSCHIADE, prænobile sidus avili  
Stemmatis, Aonidum fulcrum & pars magna sororū,  
Doctorumq; Pater juvenum, præstansq; virorum  
Præstantem decus, & nostræ insuperabilis aulæ  
Gloria, præsidium rerum columenq; mearum.

Teq;

Teq; vel imprimis magne ô MULLERE, canoni  
Nobile delicium Phœbi, sacræq; coruscans  
Lux Themidos, cuius virtus, sapientia, solers  
Et doctrina, patens rerumq; peritia nostris  
Principibus curæ, curasq; adhibetur ad aretas,  
Doctaq; consilio rebus graviore medetur.

Nec te fas fuerit plane tacuisse JACOB E  
MARTINI, princeps hac tempestate Sophorum.  
Venturaq; decus lumenq; perenne cathedræ  
Leucoreæ, cuius doctis laus astra pererrat  
Argutisq; libris, cuius gravi ab ore pependi  
Intentus multimagnos retegentis acuto  
Judicio nodos, quo commendante (quid Ate  
Ringeris?) hæc poteram sat munia dignus obire.

Quos inquam natus te fata regente patronos  
Hos aliosq; fui, quorum meminisse recusat  
Musa verecundi studiosa pudoris inani  
Carmine, conventos partim quos conspicor actu  
In præsente, bono partim vicinia Zytho,  
Patria, dives habet, DEUS ô DEUS optime serva!

Fata viris differ, cursus venerata secundos  
Assidue fortuna vehat, non occupet artus  
Arida febris, eant ad vota fac omnia, nostri  
Gratia subcrescat, cepti vigeantq; favores

D 2

Usq;

Usq; nec invidiâ quâ responsante, superbis  
Tartarea & buccis venena vomente, fatiscant.  
Ipseq; ( promeritis quia redditâ continet omnes  
Gratia virtutes ) gratus laudarier omni  
Memento merear, memorem majora manebuut.

D I X I.

CORDOLIUM

Οστωεινόν, cum annexo Anagram:

JOACHIMUS FLEMINGUS:  
Eligis inunus: imò fac?

**R**e tamen certum est; vaudo licet impete  
mecum,  
Te, JOACHIME, retrò jam retinere  
velim..

Suavia nunc abeunt Tecum pede gaudia lævo,  
Quæ tuus hic præsto dulcis alebat amor.  
Quid pro isto affectu jam mæstus inane rependam  
Officium? vulgi præbeat illud bonos.

Ipse

Ipse Tibi vitam hanc; poēthāc quæcumqz futura est,  
Devoveo, & niveâ pectore plena fide.  
Mutua quam pepigit pietas, testatur amica  
Dextera, firmabit non-moriturus Amor.  
Outinam possem tanto comes ire Seduli!  
Non me; non illum solveret una dies.  
Hei mibi! quid præter gemitus abiture relinquis?  
Quidvè oculi potius, quam lacrumentur, habent?  
Sed quidego frustrâ fatis obſisteretendo?  
Cum potius forti mente ferenda, fero?  
Quod ſemel immoto decernunt fata valore,  
Frangere nemo audax inqz pedire valet.  
Ut lubet: hoc melius, quam si moriturus abires,  
Spesqz, revertendi non foret ulla tui.  
Ergò iter-Sancti benedictus Nomine JHOVÆ:  
Quò DEVS ire jubet, potinus ire decet.  
Te DEVS ire jubet, cultas modereris habenas  
Doctus DESSAVIÆ Gymnasiarcha Scholæ.  
Eligis hoc munus meritò: Sed & eligis illud  
Non tantum; imò fac: quod facis, arte facis.  
Si benè quægeritur, dure comitata labore.  
Interit iste labor, res bona ſemper erit.

D 3

M  
Vade

Vade igitur properans **CHRISTO** Duce & Auspice  
Vade bonis avib⁹, vade bonis pedib⁹. ( **CHRISTO**,  
Extremum hoc voveo: Salve, **JOACHIME** polite,  
Charis longè oculis charior hiscè meis:  
Salve perpetuum flāmans **FLEMINGE** per astra,  
Et supremo isto munere macte: Vale.

Odōnoē μὸν, inquam, hoccè Cordelium, in tabulam Mne-  
mosynæ licet chartaceam, quasi tamen adamantinum pe-  
nitus insculptum, pyramidī **JOACHIMICÆ-FLEMIN-**  
**GIANÆ** in latipatentis Fama templo angulo angusto  
tristibus digitis appendebat αὐτοχεδιας: præproperanter  
Athenis Leucoreis Paschatos feriā sextā  
Anno Salutis: 1620.

JOAN: LAURENTIUS SCHRODERUS  
Anspachio - Francus.

*lvs pedis*  
JOACHIMUS FLEMINGUS  
MOME, CUJUS INFLIGAS?  
Hic natus Spartam; CUJUS nunc MOME nefande  
INFLIGAS famæ fulnera dira vide.  
driyēau.

**M**OME quid insultas, aliorum munera carpens?  
A Summo munus quod datur, omne datur.  
Omnes

Omnes HUIJUS eunt nutu res; Sella cuivis  
Disponente Illo, magna minorvē datur.  
Sic nunc FLEMINGO sequiori creditur alma  
Pubes; credetur ulteriore loco.  
Ulteriore loco Sibi sceptrā scholaris abollā  
Cum demandantur MOME repente veni:  
MOME repente veni; disrumpe aut ilia MOME  
INFLIGAS maculam nī malē - sane potens.

*Chronodistichon.*

AUGUSTI LUX quarta re LUCET In a Xe po La VI,  
TUNC Con-ReCtorIs MUlUs honore subIs.

*Faustæ gratulaonis:*  
Amicitiæq; & fraternitatis olim VVit-  
tenb. contractæ ergò  
f.

ZACHARIAS Härting / Reichenbachensis  
ed. LL. Stud. Bocceridum in Petri p.t.  
Præceptor Pœdagogicus.

### JOACHIMUS FLEMINGUS

*avayegauuadetis*  
Musis hic omnia fulge.

E T genus & venus & malē parta pecunia multos  
Erigit, ignotos se sibi metq; facit.

*Uesti-*

Vestibus hinc videas quos luxuriare superbis,  
Impensis male quos vincere velle pares  
Quos emere immeritos (cupidi sic laudis) honores  
Muneribus vix quos laude merere virum.  
Dum vivunt, fulgent miseri, post funera surdum.  
Nomen obit, vix est, qui, fuit ille, refert.  
Tu quoqz, post scopulos vivas, **HIC OMNIA FUL-**  
**MUSIS, Musa vetat, culte Fleminge, mori.** (GE)

Gratulatorio- prope m<sup>t</sup>ici loco VViteber-  
gâ abituriēti σχεδιως faciebat.

**AUGUSTUS CORVINUS**  
Austrius.



Id 4206  
8°

ULB Halle  
004 167 287

3



f  
Sb

+90  
SIE. 18 u. 25 nicht in PIKA,  
da Hochr.

EO-Bg-

Jul. 01

Ec 14  
24. VD 17 Me



## Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres  
Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B XVI.  
an 15  
HIMI FLE= INGI  
CULUM  
OLASTI= CUM  
IB SUA *a 28*  
In M DESSANAM  
arum Augusti Anno  
520 factâ  
URATI ONE  
*erauspicatum*  
VESTÆ,  
ORFFERIANIS,  
cI cI c XX.